



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Diff. 3. De Individuo vago.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

OBJICITUR 3. Hoc genus v.g. Animal prædicatur de pluribus, scil. & de hac & de illa specie; sed hoc genus est individuum: Ergo aliquod individuum prædicatur de pluribus.

RESPONDETUR. Hoc genus non quia hoc est, prædicatur de pluribus, sed quia genus.

DIFFICULTAS III.

De Individuo Vago.

INDIVIDUUM determinatum est v.g. hic homo. Individuum autem vagum est, v.g. aliquis homo; vagatur enim & per Petrum, & per Paulum &c. quia & Petrus est aliquis homo, & Paulus est aliquis homo. De hoc Individuo agemus hic.

QUÆRITUR 1. *An detur Individuum Vagum?*

RESPONDETUR. *Dari.*

RATIO. Quia communiter supponitur, quod subcontrariæ propositiones in materia contingenti, possint esse veræ, veræ autem jam non essent, si individuum vagum tolleretur: & sic v.g. in hac propositione aliquis homo bibit, aliquis homo non bibit; si non sumatur ly homo pro individuo vago, sed pro Petro, certè si verum est de Petro quod bibat, falsum erit quod non bibat, consequenter falsum erit subcontrarias propositiones in materia contingenti ambas posse esse veras; consequenter si non datur individuum vagum, tollitur tota suppositio confusa. Hæc ex communi suppositione.

QUÆRITUR 2. *Quid sit individuum vagum?*

RESPONDETUR. Est individuum indeterminatè cognitum, aut volitum, explicabile per particulam disjunctivam, Vel, v.g. aliquis homo bibit, vel Petrus, vel Stanislaus.

QUÆRITUR 3. *Quotuplex sit individuum vagum?*

RESPONDETUR. Duplex esse Determinatum, & Indeterminatum. Determinatum individuum vagum est, quod explicando per particulam *Vel*, tandem ad aliquod certum devenietur, ut cum dico: aliquis non attendit, vel hic, vel hic, vel hic, sed non hic, ergo ille. Hæc explicatio vocata est in Dialecticis Descensus disjunctivus. Indeterminatum autem individuum vagum est, quod explicando per particulam *Vel*, nusquam ad determinatum devenitur, v.g. aliquis calamus adscribendum est necessarius, vel hic, vel hic, vel hic; nullusque futurus talis ut ille solus, & non alius sit necessarius. Hæc explicatio in Dialecticis vocatus descensus disjunctus.

QUÆRITUR 4. *An in divino intellectu possit esse individuum Vagum?*

RESPONDETUR. Determinatum Individuum Vagum, non potest esse in divino intellectu.

RATIO. Quia illud oritur ex imperfectione intellectus, quod v.g. Petro occiso, si nesciatur Petrus esse occisus, oritur hoc inquam ex imperfectione intellectus, quod dicatur: aliquis homo est occisus. Indeterminatum autem Individuum Vagum, potest esse in divino intellectu. Ratio est: quia si in divino intellectu non daretur tale Individuum, divinus intellectus, res cognosceret non secundum exigentiam illarum; quod absurdum est, Sequel. probatur. Si Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cuius præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam, cognosceret rem non secundum exigentiam subiecti; sed si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cuius præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam: Ergo si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus non secundum exigentiam subiecti cognosceret. Minor probatur. In hac propositione, aliquod sacrum est necessarium, ad satisfaciendum præcepto, si Deus determinatè cognosceret aliquod Sacrum præ aliis necessarium, præferret unum alteri Sacro, cum tamen unum præ alio, nullum prædicatum ratione cuius alteri præferri debeat, haberet. Deinde potest divina voluntas indeterminatè aliquid præcipere, ut v.g. oblationem duorum pullorum columbarum, vel paris turturum: Ergo & intellectus divinus indeterminatè illa cognoscere, cum ita præcipiat voluntas divina, sicut prælucenti apparet intellectui.

QUÆRITUR 5. *Quomodo prædicetur individuum Vagum?*

RESPONDETUR. Individui Vagi prædicationem, non posse propriè reduci ad universalem; quia hic terminus, aliquis homo, non significat rationem communem à differentiis abstractam, sed significat plures & distinctas. Disjunctio enim illa quam adfert ly Aliquis, extremorum distinctionem indicat, saltem tamè impropiè revocari potest ad Universaliam, id quomodo fiat explano. Ly Aliquis vel quidam additum generi, deiecit illud à ratione generica ad speciem: v.g. ly Animal significat genus, si addidero illi ly aliquod, hoc ipso jam rationem specificam designabit. Ly Homo est species, si illi addatur ly Aliquis, non speciem, sed individuum significabit. Dico itaque, si genus subalternum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio generis Vagi, si genus immediatum & proximum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio speciei Vagæ; si species contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio individui de individuo; & hæc prædicatio procedit quando est prædicatum Vagum in materia necessaria, nam in materia contingenti, prædicatum Vagum, semper est individuum Vagum.

QUÆ.